

ANDREAS SAMPERS

DOCUMENTA QUAEDAM ROMANA  
CIRCA S. ALFONSI DIMISSIONEM EPISCOPATUS,  
anno 1775

INTRODUCTIO

Sicut in praecedenti huius periodici fasciculo (1) annuntiatum est, ubi documenta et epistulas ad S. Alfonsum de rebus dioeceseos ann. 1762-1775 directa enumeravimus, nunc quaedam documenta dimissionem S. Alfonsi a sede episcopali sanctagathensi illustrantia studiosis praebere intendimus.

Quando S. Alfonsus die 9 III 1762 nuntium electionis suae in episcopum accepit, statim respondit se propter varias rationes renuntiare malle dignitati oblatae, sed praecepto oboedientiae Summi Pontificis munus inexpectatum accipere constrictus fuit (2). - Iam an. 1765, post tres annos ab electione (3), renuntiationem suam Papae praesentavit, sed frustra (4). Ex hieme 1766/67, vel mense sept. 1768, conservatur alia Sancti ad Clementem PP. XIII epistula cum eisdem precibus, quae tamen probabilius Suae Sanctitati tradita non fuit (5).

In fine anni 1774 — Alfonsus tunc 78 annos natus erat et morbis valde oppressus (6) — ad argumentum revolvit, uti P. Villani, suo directori spiritali, die 9 XI communicavit (7); responso a P. Villani accepto (8), post

---

(1) *Spic. hist.* 9 (1961) 369.

(2) Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 269 ss., ubi documenta circa electionem transscripta sunt.

(3) Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 427 n. 225.

(4) Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 367 n. 14.

(5) Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 325 n. 29.

(6) Die 3 VIII 1774 S. Alfonsus scripsit editori suo Remondini: «Io sto in una età molto cadente e coll'infermità di palpito, la quale mi è cresciuta e mi tiene in pericolo di morire da giorno in giorno, come mi ha detto il medico». - *Lettere di S. ALFONSO III* 465.

(7) Cfr *Lettere II* 311.

(8) Epistulae P. Villani ad S. Alfonsum his annis scriptae nobis non sunt conservatae. - In epistulis P. Villani ad P. Villani ad P. Villani scriptis (1 ex an. 1774 et 7 ex an. 1775; AG XXXVII A 6) non habentur notitiae de dimissione episcopatus.

paucos dies iterum eius auxiliū imploravit, eum maxime adhortans, ut consiliū Exc.mi Nicolai Borgia (9) peteret (10).

Ex tribus mensibus subsequentibus notitiae de proposita dimissione ad nos non pervenerunt, sed initio mensis martii aliae epistolae de argumento P.i Villani datae sunt (11) et mense aprili, ut videtur (12), omnia composita fuerunt, ita ut libellus supplex Summo Pontifici (13) porrigi potuerit (14). Ad securius responsum benignum obtinendum, Card. Iosephum Castelli (15) et Exc.mum Guidonem Calcagnini (16) deprecatus est, ut ipsi apud Papam intercederent (17). Hae tres epistolae missae fuerunt causidico romano Melchiori Terragnoli (18), ut eas opportuno modo transmitteret (19).

Die 5 V Card. Castelli accepit epistolam sibi datam, et, precibus Alfonsi obsecundans, statim libellum supplicem Summo Pontifici porrexit (20), qui tamen primo dimissionem acceptare renuit. Cum tamen his diebus PP. Aloisius Capuano (21) et Cyprianus Rastelli (22), in audientia admissi, miserum salutis statum sancti senis Pio VI explicassent, non obstante voto contrario Exc.mi Calcagnini, sententiam mutavit et renuntiationem accepit (23). Card. Ca-

(9) Notitiae biographicae Exc.mi Nic. BORGIA (1700-1779) in *Spic. hist.* 9 (1961) 362 nota 5 et 276 nota 2.

(10) Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 362.

(11) Cfr *Lettere* II 326-327.

(12) Epistolae quae mox allegantur non habent diem scriptionis appositum, sed quia causa initio mensis maii Romae pertractata est, ut ex sequentibus patet, missae probantur versus finem mensis aprilis.

(13) Pius VI (Ioannes Angelus Braschi), electus die 15 II 1775, coronatus die 22 II 1775.

(14) Cfr *Lettere* II 341-343. - Inter hanc transcriptionem et adumbrationem in AG conservatam — a Fr. Francesco Ant. Romito scriptam, cum duobus brevibus adiunctis a S.o Alfonso m.p. in margine apposis — quaedam leves variationes notantur.

(15) Iosephus Maria CASTELLI, \* 4 X 1705 Milano, Cardinalis creatus a Clemente PP. XIII die 24 IX 1759, † 9 IV 1780 Roma. - Cfr R. RITZLER - P. SEFRIN, *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi* VI (1730-1799), Padova 1958, 21 n. 13.

(16) Notitiae biographicae Exc.mi Guid. CALCAGNINI (1725-1807) in *Spic. hist.* 9 (1961) 369 nota 7.

(17) Epistula ad Card. Castelli in *Lettere* II 339-340. - Epistula ad Exc.mum Calcagnini in *Lettere* II 340-341.

(18) Cfr *Lettere* II 338-339. - « Non conosceva Monsignore il Terragnoli ». [A. TANNOIA], *Della Vita ed Istituto...* II, Napoli 1800, 396 (lib. III cap. 73).

(19) In epistula ad Terragnoli S. Alfonsus eum rogat, ut transmittat epistolam et libellum supplicem Cardinali Castelli. TANNOIA, l. c. dicit, quod etiam epistolam Exc.mo Calcagnini inscriptam causidico misit.

(20) « Ricevuta la rinuncia a 5 del mese di maggio dall'Em.mo Castelli ». TANNOIA, o. c. 407 (lib. III cap. 76). TELLERÍA, *S. Alfonso M. de Ligorio* II, Madrid 1951, 515 affirmat quod Card. Castelli iam die 5 V viva voce de Alfonsi precibus Papae retulit.

(21) CAPUANO Aloisius; \* 21 VI 1739 Cava de' Tirreni; admissus ad noviciatum 14 VII 1755, *prof.* 20 VII 1756 Deliceto; Congregationem reliquit an. 1781, iam a pluribus annis in Cava apud familiam degens. - Cat. I 17; KUNTZ X 373-374.

(22) RASTELLI Cyprianus; \* 8 VII 1746 Vico di Palma (dioec. de Nola; prov. Terra di Lavoro); admissus ad noviciatum 2 II 1763, *prof.* 8 IX 1763 S. Angelo a Cupolo; Congregationem reliquit post an. 1780. - Cat. I 27; KUNTZ VII 5.

(23) Cfr TANNOIA, o. c. 407.

stelli, ut videtur, S. Alfonsus sine mora de re certiore fecit (24), qui notitiam statim P.i Villani communicavit (25).

Die 9 V Card. Bernardinus Giraud (26), Suae Sanctitatis Pro-Auditor, ex officio (27) nuntium de accepta dimissione dedit (28). Ipso die acceptionis huius epistulae Alfonsus in epistula ad P.em Maione (29), quam supponimus scriptam die 21 V (30), dicit se impatientem morae exspectare formulam ad faciendam renuntiationem in forma iuridica, a causidico Terragnoli mittendam. Post responsum S.i Alfonsi (31), gratias agentis atque iterantis preces pro continuatione quorundam privilegiorum et assignatione congruae pensionis (32), Card. Giraud ei rescripsit die 2 VI Papam annuisse precibus, sed faciendam adhuc esse renuntiationem in forma legali (33); haec epistula tamen die 10 VI nondum in Arienzo advenerat (34).

Interea tamen die 27 V 1775 renuntiatio in forma iuridica facta erat (35). Post mensem, die 25 VI, documentum a tabellione curiali Alexandro Pleani quoad subscriptionem a S.o Alfonso appositam authenticatum est (36), et postridie renuntiatio formaliter accepta est a Card. Giraud (37). - Certus quod voluntatem Dei secutus fuerat, tranquillo corde scribere potuit fratri suo Herculi paucos post dies: « Siccome sto sicuro che per volontà di Dio presi il vescovado, così ora sto sicuro che per volontà di Dio lo lascio » (38).

(24) TRILLERÍA, o. c. 515, affirmat Alfonsus notitiam accepisse « por la via privada del Card. Castelli ». TANNOIA, o. c. 408, dicit quod Alfonsus fuit « accertato ... dall'Em.mo Castelli del compiacimento del Papa ». - Haec epistula nos latet.

(25) Cfr *Lettere* II 344-345; TANNOIA, o. c. 408.

(26) Bernardinus GIRAUD, \* 14 VII 1721 Roma, Card. creatus a Clemente PP. XIV die 17 VI 1771 (in pectore; declaratus 19 IV 1773), † 5 V 1782 Roma. - *Hierarchia catholica* VI 27 n. 12.

(27) Auditor Sanctissimi erat ex officio Secretarius Congregationis de promovendis ad episcopatum. - Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 269 notam 7.

(28) *Infra* n. 1.

(29) Cfr *Lettere* II 347.

(30) Dies scriptionis huius epistulae, in originali non appositus, in *Lettere* II 346 indicatur 21 V. Iníitio epistulae dicitur: « la parlata si spunterà domani, lunedì ai 22 »; scripta est ergo die dominico inter diem 9 V (diem scriptionis epistulae Cardinalis Giraud) et diem 27 V (diem confectionis renuntiationis in forma legali; *infra* n. 3). Dies 14 et 21 mensis maii 1775 erant dies dominici; probabilius epistula S.i Alfonsi ad P.em Maione scripta videtur die 21 V, sed dies 14 V non omnino excludi potest.

(31) Epistulae de renuntiatione episcopatus a S.o Alfonso Romam missae in Archivo Vaticano hucusque inveniri non potuerunt.

(32) De pensione Alfonsus iam scripsit in epistula ad causidicum Terragnoli. - *Lettere* II 339.

(33) *Infra* n. 2.

(34) Uti patet ex epistula S.i Alfonsi ad Exc.mum Nic. Borgia diei 10 VI in qua dicit: « Per la mia rinuncia sto sospeso, perché non so, se il Papa vuole ch'io lasci la diocesi o seguiti a governarla ». - *Lettere* III 697.

(35) *Infra* n. 3.

(36) *Infra* n. 4.

(37) *Infra* n. 5.

(38) Epistula diei 29 VI 1775. - *Lettere* II 352.

Postquam die 17 VII Exc. mus Honuphrius Rossi (39) successor eius in Sede de S. Agata praeconizatus fuerat, Alfonsus die 27 vel 28 VII (40) dioecesi, per 13 annos theatro zeli sui apostolici, valedixit, moerore generali omnis cleri et populi (41), comitante probabiliter P. e Villani, qui iam ante mensem in oppidum Arienzo profectus fuerat, ut veneratissimum Patrem abduceret (42). Summo gaudio et signis filialis obsequii receptus fuit in Pagani, ubi statim omnes invitavit ad gratias Deo agendas propter suam dimissionem (43).

Quaestio de ulteriore sustentatione episcopi dimissionarii soluta fuit, quando Pius VI cum Litteris Apostolicis diei 17 VII 1775 Alfonso assignavit pensionem annuam 800 ducatorum ex redditibus mensae episcopalis de S. Agata (44), et eodem die aliis Litteris Apostolicis Nicolao Riganti, antiquiori Canonico et Vicario generali vigilantiam de executione suae ordinationis commendavit (45); Alfonsus, qui ipse pensionem 400 ducatorum ut sufficientem Papae proposuerat (46), de summa sibi assignata valde contentus fuit (47). In signum peculiaris observantiae Summus Pontifex his favoribus adiunxit condonationem expansionis pro expeditione documentum de pensione, de qua re Card. Castelli S. Alfonsum certiore reddidit die 1 IX (48). Paulo post, die 13 IX, exaratum fuit documentum notarile, in quo ambae Litterae Apostolicae diei 17 VII fuerunt insertae (49). - Difficultates de pensionis solutione, quae die 9 XII 1775 a Gubernio Neapolitano ad 900 ducatos aucta est (50), Alfonsus ab initio iam praevidebat (51), et revera molestias non paucas iam ipso anno 1775 et magis annis sequentibus circa hanc rem perpressus est (52).

---

(39) Honuphrius Rossi, \* 20 VIII 1717 Aversa, sac. 17 XII 1740, Ordinarius de Fondi a die 26 IX 1757, transl. ad Sedem de Ischia 9 IV 1764, transl. ad Sedem de S. Agata de' Goti 17 VII 1775, † 2 XI 1784. - *Hierarchia catholica* VI 221, 246, 69.

(40) TANNIOIA, o. c. 416: «L'ultimo giorno che stiede in Arienzo, e fu il dì 27 di luglio...». Cfr *Spic. hist.* 9 (1961) 481 notam 5.

(41) *Ibid.* 408-410, 417.

(42) P. Villani scripsit P. i Tannoia ex Pagani die 29 VI 1775: «Domani, piacerà al Signore, mi porterò in Arienzo a pigliare Mons. nostro Padre». - Orig. in AG XXXVII A 6.

(43) Cfr KUNTZ IX 70-71.

(44) *Infra* n. 6.

(45) *Infra* n. 7.

(46) Ita TANNIOIA, o. c. 411.

(47) «Il Papà mi ha assegnata una buona pensione di 800 ducati». - In epistula dei 29 VI ad fratrem Herculem; *Lettere* II 351.

(48) *Infra* n. 8. - Secundum Tannoia, o. c. 411, eodem die 1 IX causidicus Terragnoli condonationem expansionis Alfonso communicavit.

(49) *Infra* n. 9.

(50) Libellus supplex S. i Alfonsi cum rescripto Regiae Camerae S. ae Clarae in *Lettere* II 359-360; cfr KUNTZ IX 72. - In copia documenti a Fratre Fr. Romito scripta (AG Epist. S. i Alf.), quae desumpta est ex registro Regiae Camerae, dies 31 XII 1775, qui est dies confectionis copiae, erronee inscriptus apparet ut dies effectiois rescripti.

(51) Cfr *Lettere* II 351.

(52) Cfr *Lettere* II 359 ss.; *Spic. hist.* 9 (1961) 541 Doc. XIII.

## DOCUMENTA

1. - 1775 V 9, Roma. - Epistula Card. Bernardini Giraud ad S. Alfonsum. - Originale in AG I B 17.

Communicat notitiam quod Papa renuntiationem episcopatus acceptavit.

Ill.mo e Rev.mo Sig.re

Ha ricevuta N.ro Signore la lettera che V. S. Ill.ma gli ha fatta pervenire per mezzo dell'E.mo Castelli con la rinunzia del suo vescovato, ed ha la Santità Sua sentito con vera amarezza di cuore lo stato infelice di sua salute, che lo determina a tal passo.

Persuasato, come è il S. Padre dei di lei meriti e pastoral vigilanza, soffre di mala voglia il suo ritiro dal governo di codesta Chiesa, ma convinto altresì de' motivi giusti e reali che ha di farlo, non vuol mettere in angustie il di lei spirito; ond'è che accetta la sua rinunzia, quale per altro dovrà poi farsi nelle solite legali forme.

Desidera al tempo stesso Sua Santità sapere da V. S. Ill.ma, se la persona a me con sua lettera raccomandata per i vescovati in genere, la crede atta a potergli succedere, ben inteso, che per questa ricerca non intende la Santità Sua entrare in alcun impegno o promessa di conferire al medesimo il rinunciato vescovato.

Che è quanto devo per comando di N.ro Signore partecipare a V. S. Ill.ma in risposta alla di sopra enunciata lettera da lei scritta a Sua B.ne. È con sentimenti di distintissima stima resto intanto, baciandole di tutto cuore le mani

Di V. S. Ill.ma

Serv.re di vero cuore  
B. Card. Giraud

Roma, 9 Maggio 1775  
Mgr Vescovo di S. Agata de' Goti.

2. - 1775 VI 2, Roma. - Epistula Card. Bernardini Giraud ad S. Alfonsum. - Originale in AG I B 17.

Rogat ut mittatur documentum formale renuntiationis in forma legali. Confirmantur privilegia episcopatus propria.

Ill.mo e Rev.mo Sig.re.

Ho reso conto a N.ro Signore della divota riconoscenza di V. S. Ill.ma per l'accettazione dal Medesimo fatta della di lei rinunzia a codesto vescovato, quale per altro deve da lei o per mezzo qui di un legittimo procuratore, o nelle forme legali costì farsi, e trasmetterne autentico documento.

Ho altresì presentata a Sua Santità la di lei istanza, perché venganle preservati quei privilegj che annessi vanno all'Episcopato e specialmente rapporto alla celebrazione della S. Messa; e si è il S. Padre degnato di esaudirla nella maggior sua estensione. Onde può e potrà V. S. Ill.ma valersene, ed esser sopra di ciò tranquillissimo. Pensa altresì N.ro Signore nel conferire sollecitamente codesta Chiesa riservare a di lei favore una congrua pensione per di lei mantenimento, che le serva di regola.

Non ho lasciato di far presente a Sua Santità le di lei insinuazioni rapporto a Mgr Nicodemi (53), ed a questo N.ro Signore ha risposto, che le avrà in vista. Ma in ogni caso darà a codesta Chiesa un buon Pastore, e quale alle di lei circostanze si conviene.

Attenderò dunque il documento confermativo della rinunzia di sopra enunciato. Ed augurando a V. S. Ill.ma una miglior salute ed una vera tranquillità, con sentimenti della più distinta stima resto, baciando a V. S. Ill.ma di tutto cuore le mani

Di V. S. Ill.ma

Serv.re di vero cuore  
B. Card. Giraud

Roma, 2 Giugno 1775  
Mgr Vescovo di S. Agata de' Goti  
Napoli

3. - 1775 V 27, Arienzo. - Documentum notarile renuntiationis S.i Alfonsi in forma legali. - Originale in Arch. Vatic. Proc. Datariae vol. 152 fol. 235<sup>r</sup>-235<sup>v</sup> (54).

Ill.mus et Re.mus D.nus Alphonsus de Ligorio, E.pus Civitatis S. Agathae Gothorum, constituit et deputavit in ejus verum et legitimum Procuratorem D.num Melchiorem Advoc. Terragnoli (55), ipsius Ill.mi D.ni constituentis nomine et pro eo comparendum coram S.mo D.no N.ro Pio Papa VI vel legitima persona ad id potestatem ab eodem S.mo D.no Nostro habente, et in illius manibus antedictum Episcopatum illiusque munus libere dimittendum, et justis de causis resignandum, juraque sibi in dictu Episcopatu competentia renunciandum, supplicandumque

(53) Probabiliter Exc.mus Carolus NICODEMI, Ordinarius de Marsico Nuovo a die 29 VII 1771, transl. ad Sedem de Sant'Angelo dei Lombardi e Bisaccia die 26 III 1792. - *Hierarchia catholica* VI 278 et 84.

(54) Documentum scriptum est a Francisco Antonio Romito, Fratere laico CSSR, S.i Alfonsi secretario; subscriptiones a S.o Alfonso, notario et testibus m.p. sunt appositae.

(55) Verba D.num Melchiorem Advoc. Terragnoli ab alia manu in textu et partim in margine adiuncta sunt.

eidem S.mo D.no Nostro, ut dignetur eandem resignationem admittere ac reservare favore ipsius Ill.mi et R.mi D.ni renunciantis pro ejus congrua sustentatione annuam pensionem ipsi S.mo D.no Nostro Papae benevisam et arbitranda[m], ac solvendam duobus terminis et ratis aequalibus quo usque naturaliter vixerit, et quascumque Litteras Apostolicas servationis huiusmodi annuae pensionis obtinendum ac expediri curandum, jurandumque in animam ipsius Ill.mi et Rev.mi Constituentis in hujusmodi resignatione ac futura reservatione pensionis non intervenisse nec intervenire ullam fraudem ac simoniae labem vel corruptelam, et quoscumque consensus desuper necessarios et opportunos praestandum ac Litterarum Apostolicarum desuper conficiendarum expeditioni consentiendum, et ab aliis quatenus opus erit similes consensus praestari curandum et petendum in forma solita et consueta; et generaliter faciendum et agendum totum id quod dictus R. D. E.pus agere posset, si praesens adesset, tribuens circa praemissa plenam potestatem cum clausula: Alter ego, promittens &c., reservansque &c. Ex sic facta cruce episcopali more &c. juravit omni &c.

Datum Argentii ex Episcopali Palatio, die vigesima septima mensis Maji 1775

Ego Alph. M<sup>a</sup> de Ligorio constituo ut s[upr]a, dico ego Episcopus S. Agathae Gothorum

Ita est; et in fidem ego N[otariu]s Petrus Ant[oniu]s Ruggiero a Neap[oli] req[uisitu]s sig[na]vi

*Signum notarile manu factum  
subscriptum: Ruggiero.*

Ego D. Christinus Carbone sum testis

Ego D. Virgilius Cemmino sum testis

Io D. Giuseppe M<sup>a</sup> Melchionna conosco benissimo la sopra-  
posta sottoscrizione essere di proprio carattere di Monsignore  
Ill.mo e R.mo Alfonso M<sup>a</sup> de Liguoro, Vesc<sup>o</sup> di S. Agata de' Go-  
ti, manu propria

Io D. Filippo Colombo conosco benissimo la sopra-  
posta sottoscrizione essere di proprio carattere di Monsignore Ill.mo e R.mo  
Alfonso M<sup>a</sup> de Liguoro, Vesc<sup>o</sup> di S. Agata de' Goti, manu propria.

4. - 1775 VI 25, Roma. - Documentum notarile verificationis subscriptionis  
S.i Alfonsi in documento notarili renuntiationis diei 27 V 1775. - Ori-  
ginale in Arch. Vatic. Proc. Datariae vol. 152 fol. 235<sup>v</sup>-236<sup>r</sup>.

In Nomine Domini. Amen.

Fidem facio per praesentes Ego Curiae Causarum Camerae

Apostolicae Notarius publicus infrascriptus, qualiter die 25 Junij 1775 in mei & praesentes et personaliter constituti suprascripti adm. RR. DD. Ioseph Maria Melchionna, filius quondam Nicolai, de Theora [= *Teora*] Concsanae [= *Compsanae*] Dioecesis, et D.nus Philippus Colombo, filius quondam Julij, Terrae Colliani pariter Concsanae Dioecesis, mihi & cogniti & sponte & ac alias omni & medio juramento tacto pectore more & recognoverunt et recognoscunt, et quilibet ex eis respective re[co]gnovit et recognoscit manum, litteras, characterem et subscriptionem retroscripti Ill.mi et R.mi D.ni Alphonsi Mariae de Ligorio, E.pi S. Agathae Gothorum, in calce suprascripti chirographi m.ti [?] pro re & per eundem in forma apposita, et hoc ex eo quia plenam notitiam, certamque scientiam manus et characteris suprascripti Ill.mi D. Alphonsi Mariae de Ligorio habere et pluries scribentem vidisse simili juramento tacto & asseruerunt et affermarunt & et ita & non solum & sed et omni &. In quorum fidem &.

Romae ex Curia Innocentiana (56) Montis Citatorij, hac die et anno pr[aedic]tis.

Ita est. Jo.es Alexander Pleanus, Causarum Curiae Camerae Apostolicae Notarius.

*Sigillum notarile atramento charta impressum*

*figura*: leo erectus cum ramo

*circumscriptum*: Pax et fortitudo

*subscriptum*: I.A.P.N.P.

5. - 1775 VI 26, Roma - Actus officialis dimissionis S.i Alfonsi in manibus Card. Bernardini Giraud. - Originale in Arch. Vatic. Proc. Datariae vol. 152 fol. 234.

Die 26 Junij 1775

Cum sit, prout mihi asseritur, quod R. P. D. Alphonsus Maria de Liguoro, E.pus S. Agathae Gothorum, justis de causis SS.mo D.no N.ro bene cognitis, supplicaverit eidem SS.mo D.no N.ro pro libera dimissione dictae suae Ecclesiae, quam tresdecim abhinc annis Apostolica possidet auctoritate, et facta relatione eadem Sanctitas Sua mandaverit admitti; hinc igitur est, quod in mei & praesens et personaliter constitutus D. Melchior Terragnoli, quondam Jacobi filius, Clericus Patritius Beneventanus, praefati E.pi Procurator ad haec specialiter deputatus, prout ex

(56) Cfr G. FELICI, *Curia Innocenziana* = *Enc. Catt.* IV [1950] 1079-1080.



mandato procurae mihi infrascripto exhibito ac consignato ad effectum in praesenti instrumento inserendi tenoris, prout in eo ad quod & in SS.mi D.ni N.ri Papae manibus et pro eo in manibus E.mi et R.mi D. Bernardini S. R. E. Presbyteri Cardinalis Giraud, nuncupati Archiepiscopi Ferrariensis, SS.mi D.ni N.ri Papae Pro-Auditoris, sponte & ac omni, et cuicumque juri vel actioni sibi ad dictam Ecclesiam quomodolibet competenti ac per eum praetenso nomine ejusdem Episcopi libere cedit et renuntiat, et sic tactis & ad Sancta Dei Evangelia in manibus Eminentiae suae juravit &. Quam quidem cessionem seu dimissionem idem E.mus et R.mus D. Cardinalis Pro-Auditor ut supra recepit et admisit praemisso ac alias omni meliori modo & super quibus &.

Actum Romae in Palatio solitae habitationis Eminentiae suae, ibidem praesentibus R. D. Antonio Franchi, quondam Andreae filio, Presbytero Anconitano, et D. Petro Angelini, quondam Joannis filio, Romano; testibus ad praemissa vocatis specialiter adhibitis atque rogatis.

Ita est. Petrus Spada, Procuratorum Consiliarium Notarius ac Secretarius.

6. - 1775 VII 17, Roma. - Litterae Apostolicae sub plumbo Pii PP. VI ad S. Alfonsum. - Copia, die 13 IX confecta (infra n. 9), in AG I B 18.

Assignat ei « pensionem annuam 800 ducatorum monetae Regni Neapolis » ex redditibus mensae episcopalis de S. Agata, quae pensio semper — non obstantibus quibuslibet circumstantiis — integre solvenda est.

Pius E.pus Servus Servorum Dei venerabili Fratri Alphonso Mariae de Liguoro, nuper E.po Sanctae Agathae Gothorum, salutem et apostolicam benedictionem. - Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa Tibi favorabiliter concedimus quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Hinc est quod Nos, qui hodie venerabilem Fratrem nostrum Honuphrium Rossi, nuper E.pum Isclan., a vinculo, quo Ecclesiae Isclan., cui tunc praeerat, tenebatur (57), de venerabilium etiam Fratrum nostrorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, illum ad Ecclesiam Sanctae Gothorum, tunc per liberam tui dimissionem in manibus nostris sponte factam et per Nos admissam Pastoris solatio destitutam,

(57) Verbum *tenebatur*, ex oblivione omissum in transscriptione, in fine documenti additum est ab ipso notario.

apostolica auctoritate transtulimus, ipsumque eidem Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum, in Episcopum praefecimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum ei in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur (58). Nos Tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere ac specialem gratiam facere volentes, Teque a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existas, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censes, Tibi pensionem annuam octingentorum ducatorum monetae Regni Neapolis, quae tamen pensio a Te vigore cuiuscumque indulti obtenti seu etiam imposterum obtinendi in toto vel parte in aliam personam transferri minime valeat, eamque ab omni decima, quarta, media et alia quavis fructuum parte, subsidio etiam charitativo et excusato etiam ratione catasti regij nuncupati, nec non quibusvis aliis oneribus ordinariis et extraordinariis quomodolibet nuncupatis etiam pro reparatione et fabrica Principis Apostolorum de Urbe et dictae Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum, Cruciatam Sanctam et Expeditionem contra Turchas, Infideles et Hereticos, ac Seminarij puerorum ecclesiastici et Classis triremium manutentione et quavis alia urgente, urgentissima et necessario exprimenda causa etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Rerumpublicarum et aliorum quorumcumque Principum instantiam etiam pro eorum et Sedis Apostolicae necessitatibus etiam canonice vel de facto quavis etiam dicta apostolica auctoritate etiam motu proprio et ex certa scientia etiam consistorialiter nunc impositis ac pro tempore quomodolibet imponendis, etiam si in impositionibus huiusmodi caveatur expresse quod decimis et aliis impositionibus ac operibus huiusmodi pensionarij quicumque etiam praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pensiones suas quantumvis exemptas habentes contribuere debeant et teneantur, ita ut a praemissis et aliis quibuscumque in contrarium quomodolibet facientibus et extantibus etiam casibus fortuitis et inopinatis ac quocumque iudicio evenire insolitis ac speciali nota dignis ac de necessitate juris vel facti omnino exprimendis, ac peste, fame, bello, sic-

---

(58) Hoc est: in Litteris Apostolicis Exc.mo Hon. Rossi datis. - Hae Litterae nos latent.

citate, sterilitate, inundatione, incursu militum, depopulatione agrorum, devastatione fructuum, etiam omnium amissione aut eorum non recollectione vel alias quomodolibet contingentibus non obstantibus, dicta pensio per praesentes reservanda semper et omni tempore integre et absque ulla etiam minima diminutione etiam titulo donationis purae et irrevocabilis, quae dicitur fieri inter vivos, debeat, nec ex praemissis aut aliis quibuscunque de causis etiam juridicis et legitimis, quantumvis piis et privilegiatis ac specialem notam requirentibus, annullari, invalidari aut ad minorem summam reduci queat ac alias in omnibus et per omnia et omnino quoad omnia liberam, immunem et exemptam super omnibus et singulis mensae episcopalis Sanctae Agathae Gothorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis, certis et incertis, etiam si super illis aliae pensiones annuae aliis personis quomodolibet reservatae existant seu per Nos etiam hodie reserventur, quas omnes et singulas si quae sint praesentibus haberi volumus pro expressis, Tibi quoad vixeris vel procuratori tuo legitimo per dictum Honuphrium E.pum, cuius ad hoc expressus accedit assensus, et successores suos, praedictae Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum Praesules seu administratores pro tempore existentes, annis singulis duabus aequalibus solutionibus pro una videlicet in Nativitatis Beatae Mariae Virginis, a proxime ventura incipiendo, et altera medietatibus pensionis per praesentes reservandae huiusmodi in Annunciationis eiusdem Beatae Mariae Virginis immediate sequentibus festivitibus, et sic successive de anno in annum ac termino in terminum in quocumque loco, ubi Te pro tempore commorari contigerit, etiam hisce praesentibus praedicto Honuphrio E.po, qui illas ex nunc pro sibi et successoribus praedictis legitime intimatas haberi voluit et vult, illarumque intimationi expresse renunciavit et renuntiat ac successoribus praedictis minime intimatis ac possessione per dictum Honuphrium E.pum et successores praedictos habita vel non habita, ac lite quacumque desuper mota vel movenda, dicti Honuphrij E.pi et successorum praedictorum sumptibus et expensis omnino prosequenda, aut quocumque alio impedimento legitimo ac etiam de facto nunc et pro tempore quomodolibet praestito non obstante, vigore tamen praesentium nec alias alioquin praesens reservatio nulla sit, eo ipso integre et expensis etiam ratione cambij praedicti Honuphrij E.pi et successorum praedictorum persolvendam apostolica auctoritate praedicta ipsarum tenore praesentium reservamus, constituimus et assignamus, decernentes Honuphrium

E. pum et successores praedictos ad integram solutionem pensionis per praesentes reservatae praedictae Tibi faciendam iuxta reservationis, constitutionis et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod ille ex Honuphrio E. po et successoribus praedictis, qui in dictis festivitibus vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem per praesentes reservatam praedictam per eum Tibi tunc debitam non persolverit, cum effectu lapsis diebus eisdem Honuphrio E. po et successoribus praedictis ingressus ecclesiae interdictus existat, cuius interdicti relaxationem is, donec Tibi vel procuratori praedicto de pensione per praesentes reservata praedicta tunc debita integre satisfactum aut alias Tecum vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeter quam in mortis articulo constitutus, nequeat obtinere. Si vero per sex menses, dictos triginta dies, immediate sequentes sub huiusmodi interdicto animo quod absit permanserit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem a regimine et administratione dictae Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum suspensus existat eo ipso, non obstantibus Lateranensis Concilij novissime celebrati pensiones annuas super mensarum episcopalium fructibus, redditibus et proventibus nisi ex cessionis aut alia probabili causa reservari prohibentis, ac Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis dictaeque Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si Honuphrio E. po et successoribus praedictis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad praestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, statuti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, sexto decimo Kalendas Augusti; Pontificatus nostri anno primo.

Loco + Plumbi

7. - 1775 VII 17, Roma. - Litterae Apostolicae sub plumbo Pii PP. VI ad Nicolaum Riganti, antiquiorem Canonicum et Vicarium generalem Episcopi de S. Agata. - Originale in membrana, et etiam copia, die 13 IX confecta (infra n. 9), in AG I B 18.

Eis commendat vigilantiam de executione ordinationis suae, tam circa solutionem pensionis, quam circa publicum nuncium interdicti et suspensionis episcopi, quando casus fert.

Pius E.pus Servus Servorum Dei dilectis Filiis Magistro Nicolao Riganti, in utraque Signatura nostra Referendario, ac antiquiori Canonico Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum et Vicario venerabilis Fratris nostri E.pi Sanctae Agathae Gothorum in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. - Hodie venerabili Fratri nostro Alphonso Mariae de Liguoro, nuper E.po Sanctae Agathae Gothorum, pensionem annuam certis modo et forma tunc expressis liberam, immunem et exemptam octingentorum ducatorum monetae Regni Neapolis super omnibus et singulis mensae episcopalis Sanctae Agathae Gothorum, ex eo quod Nos etiam hodie venerabilem etiam Fratrem nostrum Honuphrium Rossi, nuper E.pum Isclan., a vinculo, quo Ecclesiae Isclan., cui tunc ipse praeerat, tenebatur, de venerabilium quoque Fratrum nostrorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, illum ad Ecclesiam Sanctae Agathae Gothorum, tunc per liberam dimissionem dicti Alphonsi Mariae E.pi in manibus nostris sponte factam et per Nos admissam Pastoris solatio destitutam, de simili consilio apostolica auctoritate transtulimus, ipsumque Honuphrium E.pum eidem Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum per quasdam in E.pum praefecimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum (59) ei in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, fructibus, redditibus et proventibus certis et incertis eidem Alphonso Mariae quoad vixerit vel Procuratori suo legitimo per dictum Honuphrium et successores suos, dictae Ecclesiae Sanctae Agathae Gothorum Praesules seu administratores pro tempore existentes, annis singulis in certis loco et terminis modoque et forma similiter tunc expressis sub interdicti sententia et deinde suspensionis poena integre persolvendam ipsius Honuphrij E.pi expresso ad id tunc accedente consensu per alias nostras Litteras apostolica auctoritate reservavimus, constituimus et assignavimus, prout in singulis Litteris praedictis plenius respective continetur. Quocirca discretioni vestrae per apostolica

---

(59) Verba per quasdam ... Agathae Gothorum in originali non habentur.

scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, si et postquam dictae posteriores Litterae vobis praesentatae fuerint, per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra pensionem praedictam Alphonso Mariae E.po quoad vixerit vel procuratori praedicto iuxta reservationis, constitutionis et assignationis praedictarum ac decreti nostri in eisdem posterioribus Litteris appositae continentiam et tenorem integre persolvi, et nihilominus quemlibet ex Honuphrio E.po et successoribus praedictis quem interdicti et suspensionis sententiam incurrisse vobis constiterit, quoties super hoc pro parte dicti Alphonsi Mariae E.pi fueritis requisiti, tamdiu dominicis et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum et suspensum publice nunciatis et faciatis ab aliis nunciari, donec Alphonso Mariae vel procuratori praedicto de pensione huiusmodi tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque interdictus et suspensus interdicti et suspensionis huiusmodi relaxationem meruerit obtinere contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus quae in dictis posterioribus Litteris volumus non obstare, seu si Honuphrio E.po et successoribus praedictis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem. Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, sexto decimo Kalendas Augusti; Pontificatus nostri anno primo

Loco + Plumbi

8. - 1775 IX 1, Roma. - Epistula Card. Iosephi Castelli ad S. Alfonsum. - Originale in AG I B 17.

Nuntiat quod Papa condonavit integram summam expansionis pro expeditione documenti de pensione, quod tamen Exc.mo De Rossi minime communicandum est.

Ill.mo e R.mo Sig.re

La grande stima, che la Santità di Nostro Sig.re ha di V. S. Ill.ma e R.ma, lo ha mosso a condonarle l'intiera spesa dovuta alla componenda per la spedizione delle Bolle della sua pensione. E siccome dal suo successore n'era stata pagata la rata di Z 105

romani (60) per rivalersene contro V. S. Ill.ma, così la Santità Sua si è degnata di far pervenire nelle mie mani la detta somma, quale non le rimetto in questo corso di posta, atteso il cambio svantaggioso che corre presentemente, ed aspetto che sia ad un saggio da non discapitare. Mons.re De Rossi stimolerà forse V. S. Ill.ma per il rimborso, o pure glielo riterrà nel pagarle il primo termine della pensione, ma ciò non deve importarle.

Questa pontificia beneficenza per altro la terrà segreta presso di sé, senza comunicarla al detto Mons.re De Rossi e neppure a questo suo agente e spedizionario.

Anche sul rimanente della spesa, che occorre per detta spedizione la Santità Sua le ha fatta altra condonazione, sicché tutto l'importo consisterà in pochi scudi.

Che è quanto mi occorre significarle; e con la solita sincera stima mi confermo

Ser.e vero

G. M<sup>a</sup> Card. Castelli

Roma, primo 7mbre 1775

Mons.re Alfonso M<sup>a</sup> de Liguori  
Pagani

9. - 1775 IX 13, Roma. - Documentum notarile in quo insertae habentur Litterae Apostolicae diei 17 VII 1775. - Originale in AG I B 18.

In Nomine Domini. Amen.

Cunctis ubique sit notum, quod anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MDCCLXXV die vero XIII mensis Septembris, Pontificatus autem SS.mi in X.o Patris D.ni N.ri D.ni divina providentia Pii PP. VI anno primo, ego officialis infrascriptus deputatus vidi et legi quasdam Litteras Apostolicas sub plumbo ut moris est expletas tenoris sequentis, videlicet

*Sequuntur Litterae Apostolicae diei 17 VII 1775 ad S. Alfonso*  
*sum (supra n. 6)*

*Sequuntur deinde Litterae Apostolicae diei 17 VII 1775 ad*  
*Nic. Riganti e. a. (supra n. 7)*

---

(60) Zecchino romano: moneta aurea Status Pontificii. - Cfr G. CASTELLANI, *Zecchino* in *Enciclopedia Italiana* XXXV (1937) 910-911; etiam J. AUBÖK, *Hand-Lexikon über Münzen, Geldwerthe, Tauschmittel* ..., Wien 1894, 345.

Quibus quidem Litteris inspectis, praesens transumptum confeci, praesentibus D.nis Michaeli Angelo Bonomi et Carolo Battaglia testibus.

Conc[orda]t cu[m] [originali]

N. J. Riganti Off[icia]lis Dep[utatus]

A. Card. [Nigronus] Pro-Dat[arius]

Ita est. Philippus Dinelli, Notarius Apostolicus

L.S.

*Sigillum notarile  
atramento charta impressum*

P. Anguilla